



**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorijs
III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV.,
Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges
Francorum, Carolvm Martellvm, ...**

Gretser, Jacob
[München], 1613

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum Carolum &
Carlomannum, Regibus directa, in qua continentur gratiarum actiones &
vberrimæ benedictiones. XLI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

gentibus demonstraui, ita quoque & vos bonum, quod cœpistis opus, perficere studeatis, & viriliter cum eo decertare, quatenus amplissima sanctæ Dei Ecclesiæ procuretur exaltatio, dum vestro auxilio B. Petrus receperit iustitias suas, dignamq; ex hoc coram Deo, & Angelis eius, eodem principe Apostolorum, B. Petro interueniente, cælestium præmiorum recipiatis remunerationem, & vestri nominis memoria laudabilis maneat in sæculum sæculi diuulgata. Deus autem omnipotens, qui cuncta ex nihilo suæ potentia verbo firmavit suis vos diuinis adherere faciens mandatis, vestra in beneplacito suo dirigat studia, tribuatq; vobis prudentia industriam, qualiter regni culmen gubernare valeatis, atq; aduersantium gentium nationes vestris subiiciat pedibus, & sicut in præsentī vita regalem vobis concessit dignitatem; ita quoq; & cœlestia vobis conferat præmiorum gaudia.

*Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad
Domnum Carolum & Carlomannum, Regibus directæ,
in qua continentur gratiarum actiones &
vberriam benedictiones.*

XLI.

DOMNIS excellentissimis filiis Carolo & Carlomanno Regibus Francorum & patriciis Romanorum Paulus Papa. Missam relationem Excellentia vestra deferentibus harum gerulis Droctegango scilicet & Wulfardo, religiosi Abbatis, suscipientes votiuo sumus incolumitatis vestrae nuntio releuati, optantes, vt vitam actusq; vestros sua misericordia Dominus & protegat & disponat, atque
Y ad

ad perfectam perducatur aetatem. Per easdem siquidem Syllabas innotuistis, maximam vos tenere verecundiam in id, quod interim munerum commoda per harum latores nobis dirigere non valuistis. Sed quid est, dulcissimi atque amantiissimi filij, victoriosissimi Reges, quod nos muneribus vestris lætificare inhiatis? Nulla enim alia munera desideramus, quam vestrae incolumitatis prosperitatem sedule addiscere, & de vestris profectibus gratulari. Hæc est locupletatio nostra, * vestram, quam inhiante amplectamur, * exultationibus iocunditatem; hæc est exaltatio sanctæ Dei Ecclesiæ, & defensio fidei orthodoxæ, vestrae protectionis integritas. Vos quippe Dominus elegit, præ omnibus Regibus & liberatores sanctæ suæ Catholicæ & Apostolicæ constituit Ecclesiæ & in Reges per manus B. Petri vngui dignatus est.

* f. Gesta.
* f. exultationis iocunditas.

Sed omnipotens Dominus, per quem reges regnant, ad perfectam vos perducatur aetatem, & soliū regni vobis, vestroque præclaro semini, * ævis prosperisque temporibus ad exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ & amplissimam Christianorum orthodoxæ fidei defensionem concedat possidendum, tribuens vobis e coelo victorias, omnesque barbaras nationes vestris Deo imitabilibus subiiciens vestigiis, & æternæ vitæ gaudia largiri dignetur, quatenus, sicut in presenti vita regnatis, & venturo in sæculo cum Christo regnare mereamini, dicatque omnis populus: Amen.

Psalm. 105.

fiat, fiat. Bene valete.



Items